



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 8. De Principibus huius regionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

Quintum ius in ACHAIAM: nam Philippus Sabaudus Thomæ 3. filius Iambem filiam Principis Achaïæ duxit, ex quâ suscepit Iambum filium Achaïæ Principem: & ab hoc inchoata est familia Principum Pedemontij, & Achaïæ, quæ vix 100. duravit annos, sicque eorum ditio ad Ducem Sabaudia deuoluta est.

De *Ciuitate Geneuensi, Vallensi agro, seu Romanensi*, nemo est qui dubitet in hæc iuris habere aliquid Sabaudum, cum hic à Bernatibus ei sit ereptus sub Carolo III. quando etiam Geneuenses ciuitatâ verâ religione legitimum quoque Principem eiecere.

N V M. 7. *Quid sibi iuris vindicet in has regiones Rex Francia.*

FRANCI putant Sabaudum iniuste possidere quinque eius ditionis partes.

Primo, NICÆAM, & VILLAM-FRANCAM quondam Appendices Comitatus Prouinciæ. Datæ enim sunt à Ioannâ Ludouico.

Secundo, PEDEMONTIVM quod volunt esse patrimonium Comitatus Prouinciæ, & primò ablatum Ioannæ anno Christi 1363.

Tertiò, PARTEM COMITATVS ASTENSIS, quam contendunt esse familiæ Aurelianensis, & in dotem cessisse Valentinae filia Galeatij.


Quarto, MARCHIONATVM SALVSSIARVM, quem volunt fuisse partem Delphinatus, sed Bressiâ hunc agrum pensauit.

Quintò, MAGNAM PARTEM SABAVDIÆ, quam aiunt debitam fuisse Ludouicæ matri Francisci I. videlicet illam negant excludi potuisse ab iis bonis quæ fæminis debentur.

N V M. 8. *De Principibus huius ditionis.*

TRAXERE originem Principes isti ex Amedæo Saxone nobili, cuius filius fuit Humbertus, ex quo natus Hugo Marchio Italiae, ex Hugone Beraldus qui Burgundici & Arelatensis Regis exercitibus præfuit. Hoc regno dissipato, & in varios Dominos distracto Sabaudia & Vallis Mauriena, Imperatore assentiète, huic familiæ additæ sunt, quasi fermentum maioris ditionis, vt suprâ ostendimus; cui præfuere 17. Comites, quorum nouem etiam Chablafij & Augustæ Duces fuerunt. Deinceps Duces dicti sunt; horum primus Amedæus octauus cognomento Pacificus, seu Salomon, quem Sigismundus Imp. Cameriaci creauit Ducem. Is mortuâ vxore Ripalliam cum sex equitibus S. Mauritij quos crearat, se-

cessit, unde extractus est à PP. Concilij Basileensis qui Eugenium IV. exautorarant, Felixque dictus: sed tantam dignitatem deposuit tantum vt pacem Ecclesiæ redderet: eius tibi Stemma proponimus.



iiiiiiii